per segno di omaggio e di riconoscenza
l'Autore

MAURO RICCIO VIRO CLARISSIMO

E SCHOLIS PIIS

PRO AUREO EIUS LIBELLO MIHI DONATO

CUI TITULUS — ENEA PASOLINI —

JOSEPHUS ROSSIUS

ELEGIA

Si placeat latia, vel prosa scribere thusca,
Thuscis, vel latiis ludere carminibus,
Quis tibi, docte pater, meritos non reddat honores,
Nec tollat clarum nomen ad astra tuum?
Tu paucorum unus, quos propter nostra vetustae
Et famae et decoris servat adhuc aliquid
Italia infelix, quam nunc fata aspera tangunt,
Quae trepida et sortis deterioris adest;
Sic quandoque lupis pastor furialibus actus
Abruptum metuit concidere in barathrum.
Ut tua saepe lego, Ricci, aurea scripta libenter!
Ut tuum in his studium miror et ingenium!

Est tuus Aeneas fulvo mihi carior auro,
Eliciunt lacrimas et tua verba meas;
Namque refers juvenem immaturo funere ademptum,
Quicum spes, eheu! quot periere bonae!
Qualis, delicium domini qui crescit in horto,
Deprensus saevo frigore flos moritur.
At mage grata mihi tua tristia verba fuerunt,
Quod modo conveniunt tristia verba mihi:
Nam me flere iuvat, resonant quando omnia fletu,
Solamenque mali iam modo sunt lacrimae:
Quandoquidem, data cui caeli terraeque potestas,
Quem totus terrarum orbis ubique colit,
Quem veneror, pariterque mea mage diligo vita,
Et mea cui gratus carmina saepe dico,
Deiectus regno, veluti captivus, in Urbe
Ah! iacet immerito maximus ille Pius.
Infandum facinus! sed terque quaterque vocatus
O mala multa Deus pellat ab Italia!
Non viduare suis meditetur civibus urbes
Dira lues; campos ut metit agricola;
Non pergat domibus vastam properare ruinam
Nostris horribili terra tremens sonitu;
Quaeque forent metuenda feris tantum hostibus arma,
Eheu! civili sanguine non madeant.
Haec Deus avertat mala nobis, et bona reddat
Plurima, quae nobis abstulit impietas.
Quis pede te melius valeat narrare soluto
Aetatis nostrae incommoda et opprobria?

Quis valeat melius Petri describere cymbam,
Dum furit in nigro saeva procella mari?
I nunc, i, Ricci, magno te accinge labori;
Illud opus nullus non legat attonitus.
Atque, Pium tecum miseratus dura ferentem,
Invicto tecum gaudeat ille Pio.

Faventiae Kalendis Decembribus An. MDCCCLXX.

FAVENTIAE, E PRAELO CONTIANO